



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

De Difficvltate Vel Obscvritate Et Rvrsvs De Perspicvitate Doctrinæ Vel  
Epistolarvm Beati Apostoli Pavli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

EPISTOLA PAULI  
DE DIFFICULTATE  
TE VEL OBSCURITATE ET  
RURSUS DE PERSPICUITATE  
TE DOCTRINAE VEL EPI-  
STOLARVM BEATI A-  
POSTOLI PAULI.



Difficultas  
scripturae.

**S**OLENT optima quaeque res, Berchtolde  
doctissime, obscuritatis & difficultatis opi-  
nione studiosorum offendere mentes, ut ani-  
mum uel abdicent, uel desperatione imbuti attactique non  
magno animi ardore accedant: cum re uera in omni-  
bus disciplinis honestis, maxime in literis sacris, ea sint  
expositissima, quae optima. Nam fieri non potest ut ex  
ipso deo, qui ueritas et limpidissima lux est, aliquid pro-  
ficiscatur obscuri. Obscuritas enim omnis & diuinarum  
rerum difficultas est nobis, hoc est ex socordia nostra,  
deinde ex idiomatum & schematum neglectu, postre-  
mo ex non obseruato orationis contextu enascitur.  
Nam socordia nostra facit, ut segnius diuinae sapientiae  
fores pulsemus. Atqui si cui deerat intelligentia, iuxta  
apostoli uerbum, a deo sine intermissione petenda erat.  
Sed schematum & linguarum neglectu fit, ut simplicissi-  
mae alias locutionum formulae perplexae imò & porten-  
tosa uideantur. Ea enim in re nemo satis explicauerit,  
quam

quàm superstitiose nonnunquam nodum quæramus in scirpo. Cæterum si non teneatur orationis filum, nihil mirum est, si & prophetarũ & apostolorũ imò Rhetorum quoq; disertissimorum scripta miscellaneæ quædam & phanaticorum hominum uideantur esse commenta, ad quorũ sensum nemo penetrare possit. Equidem epistola Pauli ad Romanos locupletissimum huius rei testimonium est. Cum enim Christianorum schola, ea nihil unquam habuerit melius, nihil tersius, simplicius quoq; & purius nihil: quippe qua omnis Euangelij uirtus, nõ tam copiose quàm perspicue exposita sit, eò tamen difficultatis opinione prorsus ascititia, peruenit, ut sint qui eam non legant, neq; à quoquam hominum recte intelligi posse credant. Quasi uero spiritus sanctus mũdo Bœotica quædam proposuerit ænigmata. Atqui hanc, in re clarissima, obscuritatem & desperationem, sua sibi culpa, inertia, & neglectu consciuerunt homines. Rectissime enim ille: Noctem (inquit) istam tecum circumfers. Vociferaris spinosum esse authorem, sed tui pedes spinas habent, non locus: caligas in sole, & lux ipsa tuis oculis noctuinis pro caligine est. Nam cui obsecro uerisimile uideatur apostolũ, qui omnibus, maxime uero rudibus cum manibus, quod dici solet, tum pedibus & uoce & stilo prodesse uoluit, Aristotelico, id est, subdolo uersipelli & inuido turgidum fuisse inge-

## EPISTOLA PAULI

nio? Is enim Alexandro Macedoni succensenti quod ἀποκριτικὸν libros edidisset, rescripsit, illos quidem editos esse & non editos, Neminem enim nisi qui se audisset intellecturum. Quin potius certissimum est apostolū Paulum sermonis characterem ecclesijs attempasse, ut debitor erat cruditorum & rudium: ipsum itaq; docte & clare, sed suo more et idiomate scripsisse. Id etiam si nobis nūc quidem novum sit, erat tamen illis seculis notissimum, adeoq; dicendi genus omnino ecclesiasticum & protritum.

Orationis  
dispositio  
& phras.

Ista autem tecum, Berchtolde clarissime, copiosius commentamur propter eos qui nos in sacris inepte rhetoricari ac grammaticari quiritantur, quoties observato orationis contextu, excussis quoq; locutionum generibus sacra ad communem loquendi rationem exigimus exponimusq;: homines prorsus præposteris, qui si quid lucis adferatur eorum obscuris membris, tricas quàm plana, scopas dissolutas quàm colligatas, malunt. Simplicitatem enim in sacris respuunt, & peruersa quadam opinione concepta neminem uerè theologitari credunt, nisi qui simpliciter dicta multis & uarijs sensibus laceret atq; miro quodam modo implicet: de religione item tam spinose & intricate disserat, ut ne ipse quidem sese intelligat, adde & quilibet quolibet in loco spargat. Hæc ineptia, ille demū attonitæ mentis impetus, illis est illu-  
minatus

minatus & simplicitatis spiritus. Aiunt nos in sacris  
rhetoricari oratorumq; inquirere canones, nimirum  
τὸν ἐν φωνῇ μῦθον. Sed non uident superstitiosi, lo-  
quendi rationem & consuetudinem nō esse petitam ex  
rhetorum præceptis, sed præcepta ex diligenter obser-  
uato naturali dicēdi more. Id enim si uiderent, mox in-  
telligerent eos qui in sacris contextum obseruant ora-  
tionis, non Canones obseruare, sed natiuū loquendi mo-  
rem: sine quo nemo feliciter in authoribus cum prophā-  
nis tum sacris uersabitur. Neq; uero primi hæc in sacris  
obseruamus, aut obseruanda esse tradimus. Nam & D.  
Hieronymus plurima huius generis in enarratione pro-  
phetarum tradidit. Scripsit & Aurelius Augustinus,  
theologorum ex uetustis eminentissimus, Locutionū lib.  
Idem de Doct. Christ. lib. 4. cap. 6. Possē (inquit)  
si uacaret omnes uirtutes & ornamenta eloquentiæ in  
sacris ostendere literis, &c. Verum nos non quærimus  
phaleras, pigmenta, Demosthenicam aut Tullianam elo-  
quentiam, sed puram ac luculentam simplicitatem, mi-  
nimeq; à communi sed munda loquendi consuetudine  
differentem. Istam ego, mi Berchtolde, hoc meo com-  
mentario studiosorum oculis crassa, quod aiunt, Miner-  
ua expono, ne quid sit quod ab authore sanctissimo &  
opere optimo nec minus necessario candidatos synce-  
rioris Theologiæ absterreat. Nec ignoro cū ueterū tum

EPISTOLA PAULI

recentiorum non pauca in hanc extare commentaria  
 quæ hoc nostro tantum abest ut contemnamus, ut ma-  
 gis illorum opera sicubi necessarium sit utamur. Tur-  
 pissimum enim adolescentibus in primis cornicum con-  
 figere oculos. Interim quis oro singulos prophetarum  
 prohibeat? Scripserunt illi eruditus, ego rudibus & me-  
 diocribus. Varia instrumenta habet in ecclesia sua om-  
 nipotens, quibus ad gloriã nominis sui & ecclesie sue  
 institutionem utitur. Varia sunt et spiritus sancti dona.  
 Nemini enim omnia, sed ad ædificationem omnibus con-  
 tulit omnia deus.

Igitur ad gloriam nominis dei & ecclesie sue pro-  
 fectum, ecclesie hæc nostra propono iudicanda, quibus  
 schemata & contextum orationis, nõ minimam obscu-  
 ritatis causam simplicissime indico, cum gratiarũ actio-  
 ne cessurus, si alteri melius quippiam fuerit reuelatum.

I ARGUMENTVM EPISTOLAE  
 S. PAULI AD ROMANOS.

Occasio.

**R**OMANORVM ecclesia, quæ ex Iudeis  
 & Gentibus constabat, egregie erat in fide Chri-  
 sti imbuta, doctoribus Andronico, Iunia, & Narcisco,  
 uel quod alijs placet apostolo Petro, qui Romam secun-  
 do Claudij Cæsaris anno appulerit. Vtcũq; uero ea res  
 habeat,

habeat, certe Romana ecclesia eo tempore, quo ei hæc  
 à Paulo scribebantur, recte fuit in uera fide instituta.  
 Iccirco consentaneum est Apostolum nulla ab errore  
 reducēdi opinione hanc scripsisse: recta enim ambula-  
 bat, sed pia cura. Obturbabat enim ecclesias Dei Mi-  
 neorum hæresis, quos uulgo Nazaraeos nuncupant, uer- **Nazaraei,**  
 sutissimum genus hominū, qui (ut inquit Hieronymus)  
 ueteris legis obseruantiam Euāgelicæ gratiæ aptabant,  
 & ea prorsus de Christo dicebant & credebant quæ  
 nos, sed uni non omnia tribuebant ut nos, quin magis le-  
 galibus & operū meritis. Hos itaq; ut nullibi non acriz-  
 ter impugnabat apostolus euangelicæ gratiæ acerrimus  
 propugnator, ita hic quoq; sua sponte istos ueluti præ-  
 ueniens ueritatēq; ab istorū repurgans sordibus, Rō-  
 manis hac epistola tradit, iustitiam non deberi uel lega-  
 libus uel operum meritis, sed fidei Christianæ. Hic au- **Scopus**  
 tem sermonis characterem sic attemperat, ut simul &  
 summā fidei ac doctrinæ Christianæ percenseat, interim  
 & Iudaicum deprimat supercilium, illud quoq; è medio  
 tollat dissidium, quod inter Iudeos & gentes indies ma-  
 ximis gliscebant auctibus. Docte itaq; clare & copiose  
 totum hoc negotium sic tractat.

Initio proposita expositione præfigit scopum to- **De uera ius-**  
 tius causæ, iustum ex fide uiuere. Hunc pro- **titia.**  
 lit distributione quadā, docens cum Gentes tum Iudeos;

## EPISTOLA PAULI

quin & omne mortalium genus peccato esse obnoxium  
 iustitiam itaq; non esse hominis corrupti et peccatoris,  
 sed dei potius miserentis eamq; credenti gratia confere-  
 remis. Illud porrò copiose admodum primis exponit ca-  
 pitibus. Hoc uero quod fides sit iustitia, ceu noua con-  
 firmatione in fine 3. & per initia 4. cap. astruit. Sed  
 in fine huius digreditur, & Fidem ueram, exemplo fidei  
 Abrahæ & cognatis seu consequentibus fidem, descri-  
 bit. Et iterum ne quid cuiquam deesset, denuo totam cau-  
 sam conuentione quadam demonstratiua ob oculos reuoc-  
 cat, ut quisq; uel cernere possit ab homine nihil nisi pec-  
 catum, at à deo per Christum solum, omnem proficisci  
 iustitiam. Atq; hæc quidem quæ quinque istis primis dixi  
 tractata capitibus, prima & potissima continent euan-  
 gelij mysteria, peccatorum uidelicet remissionem & uita-  
 tam per Christum restitutam.

Summa  
euangelij.

Quæ autem sequuntur usq; ad cap. 9. ueluti subsi-  
 dium satisfactio siue declaratio sunt superiorum. Cum  
 enim illa uni Christo fideiq; in eum tribuerint omnia, &  
 mens humana crassa sit, ideoq; mox ex istis colligat per  
 fidei libertatem licere omnia, sed & opera bona esse friv-  
 stranea, inutilem quoq; legem, utraq; hæc præoccupat-  
 tione quadam diluit, & in sexto quidem cap. multis ar-  
 gumentis demonstrat, fidelem hominem fidei uirtute,  
 studere pietati, innocentiam colere, & uere bona opera  
 sectari.

sectari. Neq; enim libertatē Christianam esse peccandi licentiam, sed peccatorum uerius abnegationem & sanctimonie cultum. Id quod & similitudine quadam uenusta in 7. cap. initio declarat. Nam sequentibus comonstrat legem non esse inutilem, sed sanctā & bonam. In octauo autem redit ad id, unde in 6. & per initia 7. erat digressus. Docet enim quatenus liberi simus, sed & ad uitae hortatur sanctimoniam, quod & in illo coeperat: hic uero amplius exhortationi consolationē iungit commodissimam. Neq; enim humana imbecillitas citra exiguam operam affectiones illas carni congenitas premit, unct & conficit. Et haec quidem altera pars est euangelij, qua peccatorum adeoq; carnis (ut aiunt) mortificatio siue sancta poenitentia continetur, quae quidem aliud nihil est quam perpetua uita per fidem in integritate custodia. Habes itaq; hisce 8. capitibus potissimam euangelij summam, de qua in euangelio secundum Lucam sic legimus dixisse dominum: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertio die, & predicari in nomine eius poenitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes, &c. Haec autem prima huius epistolae pars esto.

Secunda cominet negotium reiectionis Iudaicae & Reiectione Iudaeorum & uocationis gentium. Nam absoluto negotio Euangelici uocatio Gentium. mysterij, ut erat Iudaeorum & Gentium debitor, utrisq;

## EPISTOLA PAULI

mederi cupiens Iudeorum primo arrogantiam deprimit.  
 Hi enim de genere patribus & electione sua gloriantes,  
 populum dei liberum se esse iactabant, & hoc minus  
 etiam suscipiebant euangelij prædicationem. Istud  
 ergo obstaculum scripturis remouet, iisdem & reiectionem  
 eorū comprobat, causamq; huius subnectit, quod  
 nimum suæ fidant iustitiæ, monens ut iustitiæ Christi se  
 subdant per fidem: aliàs enim perituros, id quod etiam  
 propheta prædixerint. Et hæc quidē agit in capite 9.  
 & 10. Porro ne istud reiectionis negotiū miseris ani-  
 mis prorsus consternaret, ansam quoq; Gentibus, satis  
 aliàs ferocientibus, Iudeos penitus contemnendi suppe-  
 ditaret, in 11. consolationem instituit ac mitigationem,  
 docens reliquias iuxta prophetarū uaticinia saluandas.  
 Interim Gentes quoq; monet prioris uitæ meminerint,  
 unde emerferint, qualēsue olim fuerint, idololatræ nimia-  
 rum & hostes dei, nūc uero fide amici dei & testamenti  
 participes facti sint, unde fide nunc quidem stent, fieri  
 ergo posse ut perfidia recidant, & Iudaica gens resus-  
 matur: modeste itaq; de se sentiant, neminem uero con-  
 temnant. Siquidem iudicia dei ut noua & mirabilia, sic  
 inscrutabilia esse. Et hanc quidem uoluimus alteram esse  
 huius epistolæ partem, qua nimirum uides maximum  
 mysterium à maximo apostolo esse reiectum: tametsi  
 enim aliud instituisse egisseue uideatur, explicauit tamē  
 istud

istud arcanum quod Gentes quoque ad promissiones testamenti & populum dei pertineant, atque illi demum filij dei sint, non qui secundum carnem, sed qui secundum spiritum nati sunt. Id quod à maximis etiam in religione uiris adeo fuit absconditum, ut ni cœlesti oraculo commo-  
nitus fuisset apostolus Petrus, ægre Cæsaream iuisset ad Cornelium.

At tertia pars absolvitur quinque postremis capitulis. *Paræneses.*  
*bus.* Hæc uaria est de uarijs rebus ceu locis quibusdam communibus conscripta, lepide quidem & clare. Eleganter enim differit de Christianorum sacrificijs & oblationibus, De officio hominis Christiani, De magistratu & iure gladij, De ciborum & dierum delectu, De scandalo, Deque alijs quibusdam rebus scitu opido quam necessarijs, quæ quidem Argumenti breuitas satis aliàs uiolata recensere non admittit.

Porrò orationis genus, si illam spectes demonstrati-  
tionem qua docet fidem esse iustitiam, non legem, non merita, si inquam institutum Pauli summarium generatim spectes, Demonstratiuum fuerit. At si expendas accusationem qua inter initia & Iudeos & Gentes peccati coarguit, uel illud pensites quod in 6. & 8. hortatur & consolatur, illud sane iudiciale fuerit, hoc Deliberatiuum. Sed ita fieri solet ut præcipuum aliquod dicendi genus reliqua in se contineat, imò sine reliquis absolui nequeat.

Genus orationis.

## EPISTOLA PAULI

**Dicitio.**

Dictio autē uel stilus huius epistolae conuenit rebus. Nam grauis est, nō utiq; obscurus, sed decorus & maiestatis plenus, à qua perspicuitatē nemo unquam separauit. Perspicue ergo & solide scribit Apostolus, modo meminerimus sacris assuetissimum pectus sic Graece loquutum ut Hebraeum interim, utpote ad Gamalielis pedes institutum, dissimulare non potuerit.

**A**

### ARGUMENTVM PRIORIS S. PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLAE.

**N**EMINI obscurum esse credo Epistolas Pauli non eo ordine scriptas esse, quo in exemplaribus nostris uulgatis certa serie locatas uidemus. Neq; enim ea quae ad Romanos extat epistola primo scripta est ab apostolo quod primum occupat locum. Galatarum enim & ante Romanorum & Corinthiorum exarata in coetum exiuit fidelium, quinimo praesens haec Corinthijs dicata ante Romanorum quoq; conscripta est. Proinde de materiam & tractatum rerum non temporū seriem spectauit quisquis apostoli epistolas in hunc uulgatum redegit ordinem. In Romanis disputatur de Peccato, de Iustitia, de Fide, deq; uerae religionis & seminis dei natura, ui & effectu. Merito itaq; primum occupauit locum.

cum.

eum iam uero cum herbescenti semini dominico multe  
 accidant calamitates & enascentem ecclesiam multa  
 impediunt incommoda: atq; huius quidem rei epistola  
 ad Corinthios egregium sit paradigma, in qua simul &  
 illud traditur, quibus rationibus incommoda remoueri,  
 & uitijs mederi queat, haud temere Romanus proxime  
 appensa est, nempe ut hæc foueret, quod illa iam plan-  
 tare cœperat.

Corinthij enim recta erant in fide ( ut in 18. Acto.  
 cap. traditur ) ab apostolo instituti, ni mirū ad eum mo-  
 dum eamq; rationem quam in Romanis postea scripto  
 commenlauit: ideo quod ipsa fidei potissima attinebat  
 fundamenta nihil deerat Corinthijs, constantia tantum  
 & concordia in percepta ueritate desyderabatur, que  
 interim Pseudoapostoli maxime labefactabant, eleuan-  
 tes apostoli Pauli auctoritatem, suam contra asserentes.  
 Hisce enim artibus scinlebant ecclesiam, nō ea iam que  
 Christi, sed que priuata glorie erant querentes. Vide-  
 bat apostolus actum esse de Corinthiorum ecclesia, si  
 impostores isti ita ut cœperant pergerent. Principio  
 itaq; ut suam auctoritatem, & in hac ipsam ueritatem  
 assereret, & disidentes iterum componeret, duobus  
 arietibus Pseudoapostolos aggreditur. Prior philoso-  
 phiam humanam grandiloquentiam atque speculatio-  
 nes istas subtiliores, quibus isti se magno uenditabant,

Constantia  
 in euange-  
 lica simpli-  
 citate.

## EPISTOLA PAULI

& Paulum tanquam maximorum mysteriorum igno-  
 rum aspernabantur, docet displicere deo, qui ueram &  
 cœlestem sapientiam exposita simpliciq; ratione mundo  
 exponere uoluerit, certas etiam ob causas, quas interim  
 fusissime tractat. Posterior, ex officio ministrorū uerbi  
 docet omnem gloriam profectus euangelij, trahentis esse  
 dei, non hominis seruentis, dei esse ecclesiam, huic sub-  
 iecta esse omnia. Turpissimum igitur esse si quis cum  
 minister sit, domino se præferat, ecclesiam scindat, aut  
 in hac sibi quicquam arrogantiùs usurpet, quod interim  
 faciebant Pseudoapostoli. Hæc autem in genere, mox  
 speciatim Pseudoapostolis se comparat, ut ex collatione  
 colliquescat utri fideliores sint doctores, imò publico  
 exēplo istos negligentiæ & infidelitatis conuincit, quod  
 incestu commaculatum non puniuerint, quem ipse iubet  
 excludere. Atq; hæc quidem primis quinq; agit capitulis  
 aduersus Pseudoapostolos, ut auctoritatem nominis  
 sui uendicaret, leoninum istis detraheret, seductis uero  
 ac cæcutientibus oculos aperiret, atq; ita ab impostorū  
 errore in concordiam & ueritatis reduceret uiam.

Auaritia &  
 luxus Co-  
 rinthiorū.

Erant præterea quedam post fundamenta fidei po-  
 sita in eo corrigenda populo, in quo adhuc nonnullæ  
 (ut fit) superioris uitæ manebant reliquiæ. Corinthus  
 enim ut emporium Græciæ celeberrimum & opulenti-  
 simum, sic moribus erat longe corruptissimis. Hinc  
 multi

multi ex Christianis uel per auaritiã, quæ pecuniæ studium est, aduersus fratres in foro contendebant iudiciorio, uel scortatione fœdati nõ desinebant esse Corinthij. Proinde aduersus utrosq; inuehitur grauißime. Rursus cum essent qui pietatis prætextu ab uxoribus diuertent, & periculum esset ne istud scortationis gratia facerent, idq; Paulo à quibusdam significatũ esset, copiosissime super hac re disputat per integrum caput 7. ubi & de impari connubio, de Cœlibatu & Virginitate elegantissime differit.

Iam erat & aliud apud Corinthios uitium quod interim pseudoapostoli fouebant maxime. Sacrificabatur Corinthi pro more Gentilitio idolis, hic Christiani uocabantur ad sacra, in his uero idolothyta, id est idolis sacrificatæ carnes proponebantur uescendæ. Hic eruditiores (ut sibi uidebantur) Christiana freti libertate idolothyto uescabantur, infirmi contra offendebantur, subinde augustius quidpiam de idolis & sacris sentientes prophanis quàm par erat. Proinde Apostolus grauißime in istos sciolos inuehitur, docens omnino ab idolothytis esse abstinendum. Principio autem ad istorum respondet argumenta. Deinde sua confirmat cum ueterum exemplo, tum mystico Christianorum sacro. Idq; agit in 8. 9. & 10. cap.

Peregrinis  
sacris par-  
ticipare.

Et quemadmodum in istis tradidit Peregrina sacra

De iustis  
Christianos  
cum sacris.

H 5

EPISTOLA PAULI

esse fugienda, ita in 11. cap. subiungit, quid in sacro Christianorum, hoc est, in conuentu Christianorū publico sit obseruandum. Siquidem irrepserant & in hunc uitia quædam foedissima: illud in primis quod indecore se gererent in coetu Christiano ad luxum & ad scandalum usq; ornati, & quod epulis splendidis & prophetanis mysticam conspurcarent cœnam. Vtroq; autem medetur uitio, docēs quid illos in publico coetu deceat, & quis sit Cœnæ domini uerus usus, quod institutum.

**Concordia.** In 12. iterum quædam remouet quæ distidiū in Corinthiorum ecclesia excitabant. Erant enim qui, quod ipsi dona aut ministeria in ecclesia non accepissent, alijs inuiderent, & omnes in ecclesia æquales esse contendere. Erant alij qui donis & ministerio elati, alios fastidirent, itaq; abuterentur ad fastum & æmulationē charismatibus. Hos omnes allegoria corporis & harmonia membrorum in medium proposita, hortatur ad concordiam & charitatem, cuius laudes, uim & efficaciam toto capite 13. exponit.

**Prophetia & linguæ.** His absolutis iterum redit ad Coetum ecclesiasticum corrigendū. Siquidem doctuli quidam linguis atq; oratione abutebantur ad perniciem prophetiæ. Restituit ergo prophetiam in 14. cap. & de uero Linguarum usu pie iuxta atq; docte differit.

**Resurrectio.** Iam cum seductores quidam Corporum resurrectione

nem ponerent in dubiū, imò prorsus abnegarent, Paulus istam fortissimis argumentis astruit, simul & illud declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Ad finem autem familiaria quedam subijcit, inter quæ præcipua sunt, quæ de subsidio in pauperes conferendo, de suo ad Corinthios reditu, & Timothei commendatione scribuntur.

Recte ergo alij monuerunt uariam esse hanc epistolam, nec ad certum colligi posse scopum. At dictio ab alijs Pauli epistolis ita dissidet, ut prorsus alterius esse credas. Facilis est, diluta & tamen euidens, non aliud quam Pauli illud diuinum spirans pectus.

ARGUMENTVM POSTERIORIS S. PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLAE.

POSTERIOR hæc Pauli ad Corinthios epistola ferme tota est apologetica, scripta in genere iudiciali, acris, argumentosa & uegeta, stilo admodum forensi, sed causæ accommodo. Respondet enim pseudoapostolorum cum obiectionibus tum calumnijs, quæ non nisi ex ipsa Pauli responsione colliguntur, id quod non modicam obscuritatem orationi aliàs perspicue inducit. Impingebant illi Paulo seditionis cruentum

## EPISTOLA PAULI

erimen, opprobabant crucem quod subinde ciectus ur-  
 bibus incertis cogeretur uagare sedibus. Præterea in-  
 constantiam & mendacium obijciebant, sed & tyran-  
 nidis & ambitionis accusabant, quasi is ambiat domi-  
 nium qui tanta autoritate præceperat scortatorē tradi  
 satanæ. Iam & misterium euangelij eius cupiebant reda-  
 dere suspectum, infidelitatis & impuritatis ipsum insi-  
 mulantes. Hisce ergo omnibus primis respondet capi-  
 tibus, ipsam epistolam à laude afflictionum auspicans,  
 exponensq; quid in Asia usuuenerit, & quàm dexter  
 affulserit deus. Addit se nihil memitum, tametsi non ue-  
 nerit ut in superiori epistola se uenturum dixerat. Præ-  
 terea ostendit qua ratione præceperit moechum tradi  
 satanæ, ut iniuriam faciant qui tyrannidem impingunt.  
 Atq; hic probat se rite suo functum officio, pure uerita-  
 tem ipsis tradidisse, & adhuc tradere, ubi etiam multis  
 agit aduersus Nazaræos, qui legalia conabantur indu-  
 cere. Demonstrat ergo quanta sit euangelij excellen-  
 tia, quam aue legalium imbecillitas. Item quanta puri-  
 tate & diligentia prædicarit euangelium, quanto cum  
 successu, qui sanè non humanis sed diuinis debeat uir-  
 tibus quæ non desint suo negotio: adeoq; multa hic dis-  
 serit de spe & constantia item solatio in afflictionibus.  
 Deinde suo exemplo hortatur ad spem & ad opera bo-  
 na, in primis ne se misceant impuris. Quæ pars genus  
 agnoscit

agnoscit suaforium. His absolutis redit ad ea quæ de  
mæcho cœperat, eaq; in 7. cap. absoluit.

In 8. & 9. cap. miris argumentis hortatur ad be-  
neficentiam, egregiam de hac disputationem contexens,  
quæ & ipsa sub genus deliberatiuum refertur. Postre-  
mo palam suam auctoritatem propter ministeriũ suum  
tuetur, laudes suas ipse de sese prædicans, adeo ut multis  
in hac re nimius esse uisus sit. Verum ipsa res istud po-  
scebat, ne periclitaretur hac parte ipsa etiam ueritas.  
Cõparet ergo se pseudoapostolis, eaq; collatione et suã  
innocentiam & aduersariorum fucum reteggit, sed au-  
thoritate sua confirmata sub finem minatur se uenturũ  
cum auctoritate. Quanquam protinus acerbitatẽ eam  
mitigans, ipsos ualere optet.

#### ARGUMENTVM EPISTOLAE 4

##### S. PAULI AD GALATAS.

**C**ONSTAT ex ipsis causis omnes res certius Occasio  
huius epi-  
stolæ.  
Ceduci & planius cognosci posse, quocirca de  
occasione huius epistolæ dicendum erit ut melius intel-  
ligatur scriptoris sacri institutũ. Oberrabat per eccle-  
sias sancte ab apostolis institutas male feriatum genus  
hominum: ueteres Nazareos uocarunt. Hi ex factione  
descendebant Pharisaica, professione enim erant Iudæi.

## EPISTOLA PAULI

nomine uero Christiani. Nondum enim tenentes gratia  
 Christi beneficium, legem miscebant euangelio, con-  
 tendentes neminem saluari posse per Christum nisi &  
 circumcisus esset & legem Mosi seruaret. Id nos copiose  
 sequuti sumus in 15. cap. Actorum & in episto-  
 lam ad Romanos scribentes. Paulus uero non ita di-  
 dicerat Christum, neque ad istorum modum uel Galatarum  
 uel aliarum gentium ecclesias instituerat. Prædicabat  
 enim lege peccata nostra proferri non auferri, solam au-  
 tem fidei gratiam per Christum iustificare omnes gen-  
 tes. Inde uero Nazaræi suspectum habere cœperunt Apo-  
 stolum Paulum tanquam male fidei ministrum, qui neque  
 modum aliorum apostolorum in prædicanda ueritate  
 euangelica seruaret, neque sibi ipsi per omnia constaret.  
 Eugebant enim & apostolos domini eius dogmatis esse  
 authores, quod nihil profit Gentibus euangelium nisi  
 opera quoque legis implerent. Et sanè patrocinebatur in  
 speciem hisce uerbis apostolica imbecillitas. Quod scilicet  
 sibi per initia à congressu temperabant Gentium.  
 Nam Petrus cum esset Antiochiæ sese subduxit ad Iuda-  
 eorum & Iacobi aduentum à Gentibus. Addebant  
 ipsum quoque Paulum prædicationis suæ insolite male  
 conscius nunc legis uti ceremonijs, ut qui Timotheum  
 suum circumcidisset, nunc damnare legem, asserere modo  
 gratiam. Potius ergo audiendos esse qui apud Petrum &  
IACO

Iacobū uersati fuissent, quiq; ipsum uidissent dominū Ie-  
sum. Paulū enim illum & dominū non uidisse & disci-  
pulorum modo discipulū esse. Hisce uero in speciē ueris  
accusationibus turbarūt ecclesias multas recte per Pau-  
lum in fide institutas, Galatarum uero propemodū sub-  
uerterant. Fauit impostorū cœptis diuturna Pauli capti-  
uitas. Oberrabant isti impune, & specie boni multorū  
mentes subuertebāt, hic uero quod semel sceleriter plan-  
tarat diligentius rigare nō poterat, donec officiosa cha-  
ritas & cura sedula consilium quo obstaret uastatori-  
bus uinea domini inueniret. Parat enim epistolam ad  
Galatas, qua amulorum confringat ferociam, gratiam  
dei per Christum uindicet, & Galatas sibiipsis restituat  
depulsis ab ouili Christi lupis istis grassatoribus.

Tria ergo hac potissimum epistola agit. Principio <sup>Argumen-</sup>  
tuincit se uerum & à Deo missum esse apostolum, quod <sup>tum.</sup>  
euangelium suum non didicerit ab ullis hominibus, imò  
ne ab ipsis quidē apostolis, qui ut nihil ipsi contulerint,  
ita socias dextras dederint, & quod Petrus ipse Antio-  
chia metu superuenientium Iudeorum sese è Gentium  
conuictu subducens grauius à se increpitus sit, tantum  
abesse ut ipsi uel à Petro uel alijs apostolis tantillum  
accesserit quod ad perfectionem prædicationis euan-  
gelicæ uideatur pertinere. Deinde ipsam rem aggres-  
sions, ipsamq; euangelij uim & summam explicans,

## EPISTOLA PAULI

multis iisdemq; firmissimis argumentis & demonstra-  
tionibus ostendit iustificari hominem non legis aut ope-  
rum, sed gratiæ dei per fidem in Iesum Christum bene-  
ficio. Hoc est, quod sola euāgelij gratia ad salutem con-  
sequendam uel sine legis adminiculo, satis sit. Hic autem  
uarij occurrūt loci de fide, de lege, de libertate Christia-  
na, de peccato, & peccatorum remissione. Postremo  
adhortatur Galatas ut in doctrina fidei sana et libertate  
per Christum parta perseuerent, ab impostoribus hoc  
est operarijs malis Nazaraeis uidelicet sibi caueant: in-  
terim uitam uiuant sanctam quæ deceat spiritu & fide  
renouatos. Hic enim diligenter & copiose disserit de  
officijs pietatis & fructibus fidei bonis. Qualibet autē  
harum caussarum binis fermè absoluitur capitibus.

Præstantia  
huius epi-  
stolæ.

Maximæ autem authoritatis & existimationis fuit  
hæc Pauli epistola semper apud ueteres imò apud omnes  
ecclesias. Et certè nemo facile exposuerit quanta sibi  
eius & nobilitas & utilitas. Simpliciter exponuntur in  
ea maxima religionis mysteria, sed non citra artem exi-  
miam. Breuis est, sed in hac ipsa breuitate si excuti-  
tam paulò diligentius admirandam reperiās copiam.  
Neruos in hac ut in nulla alia extendit. Sed & acris  
est omnibus alijs concitator. Primam caussam expedit  
per artificiosissimā & tamen naturalem expositionem.  
Nihil enim in hac affectatum, nihil uiolentiū, omnia leni-  
ducta

ductu fluunt et lectorem ueluti aquis leni murmure præterlabentibus inuolutum abducunt quo decurrit oratio. Secundam uero controuerſiam doctâ euidenti & firmâ argumentatione inſtitutam abſoluit. Atq; hæc tam aduerſarios ſuos quàm Galatarum animos in ſuam ſententiam illicit, rapit, conſtringit. Poſtremum autem negotium uerſatur & in deliberatiuo et præceptiuo genere.

Apparet autem hæc epiſtolam ſcriptam eſſe ex urbe Roma. Alij exiſtimant ex Epheso miſſam, priuſquam inde per tumultum à Demetrio excitatum eſſet expulſus. Veriſimilior uidetur eorum ſententia qui e uinculis hæc ſcriptam credunt. Quemadmodum enim in calce epiſtolæ ad Ephesios ſuæ meminit catenæ, ſic in fine huius epiſtolæ ad Galatas meminit afflictionis ſuæ, dicēs ſe ſtigmata domini Ieſu portare in corpore ſuo. At certo conſtat epiſtolam Ephesijs ſcriptam ex uinculis à Roma eſſe miſſam. Vtcutq; uero hæc res habeat, hoc interim certum epiſtolam ſero tandem eſſe ſcriptam & poſt alias ferme omnes. Vnde & plurimum habet grauitatis authoritatis & prudentiæ ſenilis. Huc accedit quod ipſe Paulus hæc ſua ipſius manu propria conſcripſit. Alias ferme omnes excipientibus librarijs ſcribiſue dictauit. Demum & manu ſua ad calcem conſignauit, qui ueterum mos creberrimus fuit. Proinde ſi cui cordi eſt Pauli apoſtoli reliquias, craneum, oſſa uel uestes ue-

## EPISTOLA PAULI

nerari, exosculetur hanc epistolam multo & meliores  
& certiores D. Pauli reliquias. Veste præstabilius est  
corpus, corpore nobilior animus. Animi uero reliquie  
literæ sunt. Præstant ergo hæ sanctorum reliquie, quæ  
animo et fidei sunt reliquie. Has amplectere relictis ari-  
dis isis & succu carentibus ossibus.

### S ARGUMENTVM EPISTOLAE S. PAULI AD EPHESIOS.

**N**ON necesse est arbitror multis exponere qui  
fuerint Ephesij, quæ Ephesiorum supersitio,  
quanto cum fructu quam aue cum authoritate, uirtute,  
fide & sedulitate Euangelium Christi his prædicarit  
apostolus Paulus. Ea enim exposuit fusissime Lucas in  
Actis cap. 19. & 20. Certè huius ecclesie maximam  
habuit rationem, & in hanc præ ceteris affectu maxi-  
mo præditus fuit. Bicennio enim in ipsa sedit, discedens  
Timotheum clarissimum sibi discipulum ibi reliquit, ma-  
terim ipse hortari, monere urgeretq; noctes atq; dies nõ  
cessauit, adeo ut ipse trienniu numerarit laboris in ipsos  
impensi, cum ab Epheso Miletum euocatis presbyteris  
profecturus ipse Hierosolymã quid faceret præscripsit.  
Præterea coniectus in uincula Ephesios subinde deside-  
rabat, pro Ephesijs uarijs curis et paternis distringebat

THP

tur solitudinibus. Metuebat quod plerunq; fieri solet ne uinculis Doctoris sui attoniti deficerent à doctrinâ aut certe concuterentur uehementius, proinde hanc iam conscribit epistolam ab urbe è uinculis scilicet per Tychicum, ut ipse testatur in fine epistolæ.

Scopum ergo habet certissimum hæc epistola. Exponens enim breui compendio summam euangelij, hortatur ut in hac certa euangelij doctrina perstent, deinde studeant innocentie. Hoc enim esse consilium suum in hac epistola ipse testatur in cap. 3.

Nos, ut Lectori omnia sint perspicua & teneri possint facili memoria, partiemur hanc epistolam in partes duas. Prima absoluitur tribus primis capitibus. Secunda tribus consequentibus. In prima parte exponit breuissimo compendio absolutam euangelij summam, nempe quomodo deus in Christo toti orbi omnem dederit plenitudinem, hoc est remissionem peccatorum, sanctificationem, innocentiam, spem uitæ æternæ & omnium bonorum amplissimum inexhaustumq; aceruum: item quomodo omnes homines natura sint filij iræ, & iustificentur gratis per gratiam & fidem Iesu Christi, non per uires humanas aut opera nostra. Addit præterea Gentes in hoc iustificandorum consortio contineri. Christum enim unam ex Iudæis & Genibus fuisse ecclesiæ uerbūq; euangelij & Gemitus destinasse. Atq; his id

## EPISTOLA PAULI

affigit exhortationem ut in instituto sancto & intellectu euangelij doctrina pergant. In secunda parte instituit mores & de sanctimonia uitae disputat, & hortando tradit qua debeant concordia, constancia & ueritatis incrementum illustres esse fideles. Dissertit item contra uaria & grauissima scelera, contra immunditiam, mendacia, fraudes, iram, inuidiam, spurcitiã, libidinem, luxum, & crapulam. Præterea optima instituit officia Christiana, erudiens quid deceat coniugatos, parentes & liberos, dominos ac seruos. Postremo uero armat Christianum militem panoplia spirituali, se quoque et res suas precibus ipsorum ad deum commendans.

De genere dicendi quo in hac usus est Paulus absolutissimus dicendi artifex Erasmus sic iudicauit, Idem in hac epistola Pauli seruator, eadem profunditas, idem omnino spiritus ac pectus, uerum non alibi sermo hyperbaticus, anapodotus, alijsque incommoditatibus molestior, siue id interpretis fuit quo fuit usus in hac, siue sensuum sublimitatem sermonis facultas non est assequuta. Certè stilius tantum dissonat à cæteris Pauli epistolis, ut alterius uideri possit, nisi pectus atque indoles Paulinae mentis hanc prorsus illi uindicaret. Hactenus Erasmus.

ARG

**E**Adem caussa & occasio hanc ad Philippenses epistolam extorsit Paulo quæ Ephesijs scriptam extorserat. Tenebatur in uinculis Apostolus, oberrabat pseudapostolorum uulgus, eleuabant Pauli doctrinam, sed & uincula eius in sinistram abripiabant occasionem. Et hactenus quidem nil profecerant apud Philippenses, in fide uera & doctrina apostolica constantissimos. At quid interim Paulus cogitare potuit quàm Philippenses esse homines, qui grauibus illis uinculis suis offendi, & pseudapostolorum artibus subuerti possint, cupiens ergo amans suæ familiæ bonus pater tempestiuo aliquo remedio periclitantibus subuenire, hanc adornat epistolam, in qua mirifice illos in fide recepta confirmat, & omnia ea expungit quæ poterant uel abstrahere à uero uel currentes in uia domini impedire, quominus procederent. Principio ergo collaudatos ob fidei donum & sanctam constantiam erudit, ne cruce et uinculis suis offendantur, utpote ex quibus plus commodi quàm dispendij sit enatum hactenus. Se quidem illis nequaquam examinari aut angi difficilius planè testatur, ut qui paratus sit mori pro Christo. Deinde hortatur ut in percepta ueritate persistant, & ut suam uocationem

## EPISTOLA PAULI

nem deceat ambulent, id autem futurū putat si sint concordēs, ad quod deinceps ardentissimis inflammat argumentis, ubi & de mysterio Christi differit, & quaedam de Timotheo & Epaphrodito adijcit. Tertio loco monet à Pseudapostolis sibi caueant, legem & operum merita Christo miscentibus. Ibi uero demonstrat omnem iustitiam & omne quod mundo uidetur exinimum Christo collatū non damnū modo sed excrementis esse simile. Cauendos ergo censet pseudapostolos. Quartum caput refertum est salutationibus & salutaribus quibusdā tum dogmatis tum exemplis.

Scripta est hæc epistola ex uinculis ab urbe Roma, perlata per Epaphroditum. Varia est, sed docta, grauis & utilis. De Philippensibus lege Epitome Vadiani nostri, præcipue uero Lucam in Actis apostolorum capite decimosexto.

## ARGVMENTVM, EPIST. PAULI AD COLOSSENSIS.

**E**PISTOLA Pauli ad Colossenses Epitome eius est quam ad Ephesios scripsit, nisi quod in illa nostra acrius & feruentius disputat aduersus pseudapostolos ad Moysen et legalia reuocantes Christianos. Horum enim artes metuens, ne uidelicet his imponerent Coloss.

Coloss. hac epistola paucis totam euangelij summam comprehendit hoc ordine de absoluta iustificatione disputans. Principio ipsum describit Christum dominum, & demonstrat quod in hoc omnes sint thesauri caelestes, quodque in hoc uno absolamur per meritum passionis eius in fide. Ideoque in memoriam reuocat illis quales aliquando fuerint Coloss. & exponit quales nunc per Christum facti sint, quid ipsos deceat, quodque in fide semel percepta perseuerandum sit. Deinde positus hisce fidei fundamentis grauer ipsos adhortatur ne ab hac doctrina absoluta relabantur uel ad argutias philosophicas uel ad fabulas iudaicas. In Christo enim esse omnia quae ad perfectam pertineant absolutionem, in Christo esse ueram sapientiam & ueram legis completionem. Iudaizantibus enim haud impares erant quidam ad Christianismum a paganismo conuersi, qui praesidio eloquentiae suffulti multa arguta & philosophica simplicitati fidei immiscere tentabant, quos non inferiori minusque ardenti spiritus feruore atque Nazareos persequitur & cauendos suadet, ingeminans subinde in Christo nos esse completos, Christum semel habere omnia. Atque haec quidem suffissime traduntur per prima duo capita. Posteriora duo salutaribus oppleta sunt institutionibus et formulis sanctae uitae, nisi quod maxima pars cap. ultimi salutationibus occupatur.

## EPISTOLA PAULI AD

*Ceterum non prædicarat ipse Colossensibus euangelium, opera Epaphræ uel Archippi in Christum crediderant. Videtur sane illius permotus precibus hanc scripsisse ex carcere & per Tychicum misisse ab urbe, tum furtaßis cum & Ephesijs & Philemoni scriberetur: & coniectura est Philippensium epistolam ab his non longo interuallo esse editam.*

*Ipsa uero epistola multis nominibus commendatissima nobis esse debet. Nam ut breui compendio totam fidei Christianæ summam comprehendit, ita instructissima est, argumentis ualidissimis compacta, demonstrationibus euidentibus, perspicuitate clara, & rerum sublimitate grauis. Et stilus rei grauitatem & sublimitatem assequitur.*

*Iam uero ne illud nescias Colossæ Colossarum dicitur, quemadmodum Athenæ Athenarum. De istis lege Vadiani nostri Epitomen. Plinium item in lib. 6. cap. 31. & lib. 31. cap. 2. Strabonem quoq; in Geog. lib. 10.*

### 8 ARGVMENTVM PRIORIS S. PAULI AD THESSALONICEN- SES EPISTOLAE.

**T**HESALONICAM, quæ Macedoniae erat metropolis, ueniens Apostolus Christi religionem  
inter

inter iudeorum insipientium insidias atq; turbas uerbi dei studiosis non multis tradidit diebus. Oborta enim turba commotoq; populo et magistratu Thessalonicensium, fratres Paulo consultum uolentes, hunc unà cum Sila nocte intempesta emiserunt. At hi Berrhœam profecti sunt, sed & hac eiectus Athenas proficiscitur Paulus, hucq; Silam atq; Timotheum uocat qui Berrhœæ interim hæserant. Interea satanas nullum non mouens lapidem quo herbescentē euangelij segetem apud Thessalonicenses proculcaret, grauissimam in membris suis persecutionē contra ueritatis cultores excitat. Hic uero Paulus misere metuens ne teneri in fide ad uitam desiderent superstitionē, semel atq; iterum statuit opem ferre periclitantibus; uerum cum adeo seuiret persecutionis procella ut neq; tutum neq; utile esset insanis turbarum fluctibus sese ingerere, tandem Timotheum, quem non usq; adeo grauis aduersariorum premebat inuidia, mittit ut pro nomine Christi patientes confirmaret. Timotheus Thessalonicam itaq; profectus infracto animo, uerum confitentes reperit Thessalonicenses, redit ergo Athenas, & Paulo qui hic interim resederat, mirans istorum predicat constantiam. Hæc autem transcripsimus nos ex 17. Acto. capite, et ex huius epistolæ 3. cap.

Vbi uero Paulus audisset in ista acri pugna uicisse ueritatem ac sanctos in fide semel accepta perstitisse,

## EPISTOLA PAVLI

*hæc ab Athenis scribit literas quibus laudat illorum fidem. Laudem uero hanc ita attemperat, ut simul adhortetur Thessalonicenses, porrò constantes esse pergant. Atq; huc quoq; pertinet narratio cap. 2. de ingressu suo ad Thessalonicenses, item expositio cap. 3. de legatione Timothei. Atq; hæc quidem altera pars est huius epistolæ. Posterior circa institutionem uersatur. Admonet enim ut caueant sibi ab immunditia, & uitæ puritate deum colant, ut caueant sibi ab iniuria & circumscriptioe fratrum, seruiant autem his per charitatem, ut mortuos non lugeant luctu immoderato & Christianis indecoro. Vbi de fide resurrectionis, de extremo die, de uigilia Christianorū, deq; rebus alijs opido sacris & utilibus differit.*

*Videtur autē hæc epistola ante alias omnes esse scripta. Vtilitate certe & præstantia alijs nihil cedit. In hac enim egregij & necessarij loci tractantur. Dictio autem Paulinum pectus omnino refert. Est enim facilis, accommoda rebus, & ubiq; maiestatem referens apostolicam.*

### 9 ARGUMENTVM POSTERIORIS S. PAVLI AD THESSALONICENSES EPIST.

APPA

**A**PPARET posteriorem hanc Pauli ad Thes-  
 salonicenses epistolā priori coronidis siue sub-  
 sidij uice statim post hanc additam esse. Copiosius enim  
 in illa tractat quedam quæ in hac delibarat parcius.  
 Et initio quidem adhuc prædicat fidem Thessalonicen-  
 sium. Quod in multa tentatione atq; afflictione con-  
 stanter durauerint. Quamobrem pollicetur refrige-  
 rium & uitam sempiternam, aduersarijs uero incen-  
 dium & interitum perpetuum, ut confirmaret eorum  
 animos. Deinde quia in priori meminerat aduentus do-  
 mini & resurrectionis mortuorum, intellexerant quia-  
 dam iam nunc imminere illa, proinde ostendit in hac  
 dominum non prius uenturū quàm reuelatur filius per-  
 ditionis, hoc est antichristus, cuius aduentum ac regnum  
 sed & interitum graphice pingit, certè ut posterius sæ-  
 culum commonitum sibi ab ea peste caueat. Postremo  
 iterum atq; iterum inculcat in ordinem redigendos esse  
 qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum.  
 Horum enim & in 4. cap. prioris epistolæ meminerat.  
 Breuis quidē epistola est, sed mire utilis et docta. Stilo nul-  
 differt à superiori, neq; eruditione inferior est. Atunt  
 & hanc Athenis à Paulo scriptā & per eosdē missam.  
 Theophylactus per Titum & Onesimum putat missam.

EPISTOLA PAULI  
IO ARGUMENTVM PRIORIS  
PAULI AD TIMOTHEVM  
EPISTOLAE.

Occasio.

**E**X omnibus epistolis Paulinis liquet Timotheum hunc absolutissimæ cum pietatis tum eruditionis fuisse exemplar: unde iam colligimus epistolam hanc non tam in ipsius gratiam esse scriptam, qui uel non admodum sapiebat & omnia faciebat recte, quam in omnium aliorum episcoporum utilitatem qui per successionem temporum fuerant ecclesijs præficiendi. Proponit enim in hac absolutissimum exemplar boni pastoris & diligenti episcopi, orationis filium secundum materiarum præstantiam & episcopi officia atq; attributa ducens.

Scopus.

**I** Principio enim cū potissima episcopi functio sit Docere, initio admonet, ut reiectis omnibus fabulis questionibusq; curiosis & humanis traditionibus ea tradat quæ sint charitatis & fidei ueræ. In his enim duobus capitibus contineri doctrinam sanam.

**2**

Deinde cū ad episcopi quoq; curam pertineat præesse cœtui ecclesiastico, precibus sacris & ecclesiasticis ritibus, secundo loco differit de eo quomodo deprecationes & interpellationes fieri debeant pro omnibus hominibus, item quid hic deceat uiros, quid mulieres.

**3**

Quia uero plurimū momenti habet exemplum episcopi

scopi sanctum, & prophanū siue impurum officit plurimum, ideo episcopū cum tota familia depingit, qualis scilicet esse debeat, & quid eum deceat qui domui dei prefectus est.

Veram doctrinam plerunq; sequitur falsa ut umbra & corpus. Nescit enim inimicus homo conquiescere, semperq; malum semen agro dominico bono semine seminato inferere gliscit: specimen ergo huius exhibet Apostolus, partim ut ab erroribus caueremus, partim ut tenacius adhereremus doctrinae sanæ. Atq; huc maxime uocat Timotheū, præscribens quomodo se gerat quilibet episcopus in rerū discrimine. Omnia uero maximo spiritu prosequitur.

Hæc autem de doctrina sana, de precibus sacris, de uita & moribus episcoporū, de doctrina falsa, & quod assidue laborandum sit fideli agricolæ in uinea domini, potissima sunt huius epistolæ capita, quæ sequuntur de uarijs rebus præcipiunt. Præscribit enim quomodo se gerat erga seniores, anus, iuuenes, & puellas, item erga uiduas grandæuas & adolescentiores, id est ætatis spectæ mulierculas, rursus quomodo erga episcopos siue presbyteros, quid præscribat seruis ac dominis. Ibidem & auaritiam accusat & autræque laudat, docens quantis cum periculis coniunctum sit studium pecuniæ, item quis sit usus opū, & quæ sint opulentiorū officia.

4

5

6

## EPISTOLA PAULI

Vbiq; uero immiscet quod ipsis præ cæteris uoluit esse commendatissimum, ut cauerent sibi à quæstionibus & disputationibus curiosis spinosisq;.

Stilus.

Stilus congruit argumento. Institutiones enim facili & dilucido stilo exarande sunt. Et facilia & exposita in hac sunt omnia. Aiunt scriptam à Laodicea Caricâ. De qua re annotauit quædam in quarto capite ad Colossenses. Verum parum retulerit unde hanc scripserit, siue e Macedonia, siue ex Asia. In hac certè nō diu hæsisse legitur à tumultu Ephesino. Protinus enim soluit in Macedoniam, inde transgressus in Græciam, à qua iterum in Macedoniam ueniens breuissimo temporis spacio nauigauit in Syriam, ex hac uero captiuus Romanam ducitur.

### II ARGUMENTVM POSTERIORIS S. PAULI AD TIMOTHEVM EPISTOLAE.

POSTERIOREM ad Timotheum epistolam scripsit apostolus ex urbe cum iam ad Caesaris tribunal sisteretur & sese putaret interficiendum. Disertis enim uerbis in 4. cap. Ipse iam immolor, inquit, & tempus meæ resolutionis instat. Extremum igitur uale suo dicturus Timotheo, & ecclesias ipsi commendaturus.

rus, hanc scribit.

In hac præcipue hortatur ut in ueritate perstet euangelica, hancq; fideliter tradat ecclesijs, stultas uero & ineruditas quæstiones respuat.

Deinde commonet grauius ne ab hac resiliat, uel propter quorundam inconstantiam & reciduum, uel propter persecutiones et afflictiones uarias ingruentes.

Hinc uero graphice describit quàm periculosa futura sint tempora postrema, & quod sola scriptura Canonica habeat omnia quæ ad pietatem pertinere uidentur. Huius uero præscriptionibus adhærendum & illas solas episcopo inculcandas esse ecclesijs omni conatu suadet.

Postremo & ad finem epistolæ subiungit peculiaria quædam.

Scripta est hæc epistola in Deliberatiuo potissimè genere, nec dispari multumq; discrepante à superioris epistolæ stilo. Utiles uero & propemodum necessaria est sæculo nostro in quo multorum inconstantia, & tyrannorum minæ ac cruces plurimos abnegare uerum compellunt. Inuenient isti in hac quod erudiat retineatq; in officio.

12      EPISTOLA PAULI  
ARGVM. EPIST. S. PAULI  
AD TITVM.

**B**REVIS est epistola, sed densa mysterijs et utilitatis plurimum habens quæ Tito inscribitur. Hic ad Christum è gentilismo conuersus in religione recepta profecit adeò ut hunc inter præcipuos amicos imò filij loco coleret Apostolus, præterea et nobilissime insulæ Cretæ præficeret. Hunc uero instituit præsentem epistola præscribens quos deligat episcopos. Iubet enim ut oppidatim constituat presbyteros, et huiusmodi quidem qui sint integræ uitæ et doctrinæ sanæ tenaces, quo possint contradicentes reuincere. Nam ut apud alias gentes, ita præcipue apud Cretenses esse pseudapostolos quosdam quos oporteat acerrime profligari.

Argumen-  
tum.

Deinde personarum & ætatum præscribit officia, docens etiam magistratui obediendū esse. Adhibet ubiq; exhortationes egregias et efficaces. Postremo præscribit quædam de quæstionibus reiiciendis, deq; uitandis hæreticis & alijs quibusdam rebus necessarijs.

Hæc uideri poterat Epitome prioris epistolæ ad Timotheum esse. Eadem enim in hac tractantur quæ in illa, sed breuius & alijs uerbis hic omnia. Aliàs parum est in utraq; discriminis.

S. Hieronymus hanc è Nicopoli, quæ sita est in Aethiaco

etiā littore, autumat scriptam, nimirū quod ipse Paulus in fine epistolae dicat, Da operam ut uenias ad me Nicopolim. Nam illic decreui hybernare. Quādo uero scripta sit ante uel post captum Apostolum, non satis constat. Theophylactus existimat ante uincula scriptam & priusquam posterior ad Timotheum uulgaretur. Certe non deiecit perquirenti diligentius coniecturae quibus colligatur scriptam esse posteaquam Caesaris sententia Romae esset absolutus.

ARGVM. EPIST. S. PAULI  
AD PHILEMONEM.

13

**P**HILEMONI erat seruus Onesimus, qui sup-  
pilatis domini facultatibus aufugit Romam. illic  
audito Paulo & religionem Christi recepit & Paulo in  
carcere seruiuit, & ea quidem integritate ut hunc do-  
mino suo reconciliare cogitaret Apostolus. Scripta igitur  
hac epistola mire Philemonem urget ut seruulum re-  
cipiat fugitiuum.

Scripta est in genere deliberatiuo, & arte tanta,  
breuitate item tam erudita, ut mihi nihil in omnium  
oratorum exercitamentis & declamationibus uideatur  
extare hodie quod cū hac Pauli sit conferendū epistola.

Præterea exemplum in hac nobis proponitur cha-

K

EPISTOLA PAULI

ritatis insigne, cum uir tantus furacis hominis caussam tanto sibi ardore sumit agendam. Erudimur illa ipse lapsis nõ denegandam esse ueniam, si modo resipiscant. Breuiter thesaurum cum eruditionis tum pietatis non epistolam dicet quisquis hoc breue Pauli scriptum propius expendit.

14

ARGUMENTVM EPISTOLAE S. PAULI AD HEBRAEOS.

**E**uangelium. **T**RIA sunt quæ hac tractantur epistola. Principio enim monet ne reijciant Christum Iudæi, neque aspernentur euangelij negotium per incredulitatem: quantoquidem angelis potentior sit, et Mose maior, angelorum etiã dominus, et deus conditor: nihil interim eleuante eius maiestatem humana natura, quam sibi ex Abrahamæ traxerit prosapia. Considerent autem miserum maiorum suorum exemplum, quorum murmur, perfidia et incredulitas misere sit multata in deserto: unde consentaneum sit ipsos pessime nunc quoque habituros, si ipsum uerbum dei uiuum, ipsumque dei filium perrexerint cõtemnere. Et hæc agit per integra prima quatuor capita. Nimirum aduersus eos sic perorans, qui Christum aspernantes obijciebant, Nos Mosi discipuli sumus,

cui per angelos loquutus est deus, hunc uero Iesum unde sit aut quis sit nescimus, pergemus ergo in uijs patrum nostrorum. Quo simul & infirmos, primumq; Christo ex Iudaismo imitatos & rudes, à ueritate auertebant euangelica: quos interim Paulus istis suis & firmare & in uera religione officioq; retinere contendit.

Deinde uero uelut hypotyposi quadã ob oculos po-  
nit, sacerdotium Aharonicum prorsus fuisse umbram, Sacerdo-  
Christum autem uerum esse sacerdotẽ, ab ipso deo iure-  
iurando creatum, neq; secundum ordinem Aharon, sed  
secundum ordinem Melchizedek ordinatum, Leuitis  
maiolem & meliorem: utpote cuius sacerdotium sit  
& ἀπαράβατον & sempiternum. Antiquitas igitur  
esse umbras, cum sacerdotij tum sacrificij. Sacrificiũ.  
Quippe cum ueterum sacrificia, non minus quã sacerdotium, fue-  
rint inefficacia & typi Christi, qui sit uera hostia uni-  
ca & sempiterna pro peccatis totius mundi. Hæc au-  
tem doctissime simul & copiosissime tractat per initium  
capitis quinti, (nam in fine, & per integrum cap.  
sextum digreditur) item per integrum caput 7. 8. 9.  
& decimi mediam partem. Planè aduersus eos qui ni-  
tebantur cremonijs, sacerdotio, & sacrificijs: qui cla-  
mitabant Christiana religione omnem semel tolli di-  
uinum cultum, omnem uetustatem & gentis gloriam.  
His igitur commonstrat, in Christo omnem esse pleni-

EPIST. PAULI AD HEB.

tudinem & legis perfectionem, ut qui Christum per fidem possideat, is dei gloriam, & sacerdotem & hostiam absolutissime possideat.

**Fides.**

Postremo adhibitis calcaribus urget eos ad fidendam Christo sacerdoti unico & hostiæ perpetuæ. Esse enim fidem illam omnium ab exordio mundi iustorum veterum, ueram religionem, qua illi deo seruiuerint, et in qua multa perstiterint patientia. Patientia ergo hic quoque opus esse & constantia: ad quam deinde multis hortatur exemplis, iudicijs, similibus. Nam mire torquebatur qui à Mose descuerant ad Christum.

Ad finem autem epistolæ, per integrum uidelicet cap. 13. Appendicis loco, subdit breues quosdam, ueluti Aphorismos, sententias & institutiones. Hoc uero totius epistolæ argumentum est.

**Phrasis.**

Dictio uero pura est, grauis, dilucida, euidēs & propria. Genus autem orationis mixtum est. Nam epistolæ medium, genus agnoscit didacticum. Docet enim Apostolus ueluti demonstratiua contentione, ueterū umbras, quoad sacerdotium & sacrificium, prorsus abolitas, Christum uero esse uerum sacerdotem & æternam hostiam. At initium epistolæ & finis, sub genus referuntur Deliberatiuum. Nam utraq; parte hortatur, illic ne Christum reijciant, hic autem ut Christo fidant, & per patientiam in ueritate persistent.

SEQVVN